DE

[U]RETHROBLENNORRHOEA IDIOPATHICA.

[D]ISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
[G]RATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
[I]NIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
[I]N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE III. M. APRILIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

HENRICUS DE CARNALL,
GLACIO-SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
ADOLPHO MÜHLMANN, MED. ET CHIR. DR.,
ADOLPHO LEINVEBER, MED. ET CHIR. DR.,
DANIELE NIETHE, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

Explicavi ut potui, nec tamen certa sunt, quae dixi.

ARWID. CONR. DE CARNALL,

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO,

AD OBITUM USQUE VENERANDO,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

CAPUT I.

DE BLENNORRHOEA IN GENERE.

§. 1.

Omnes morbi, quos blennorrhoeas appellamus, ita unicas et glandulas mucosas afficiunt, ut mucus, qui partim in glandulis, partim in tunicis oritur, modo secernatur alienato.

Tunicae mucosae, molles, rubicundae plerumque multis vasis sanguiferis intertextae, tenues sunt membranae, quae superficiem internam nonnullarum corporis cavitatum obducunt. Tegumento corporis externo inter se conjunctae duplici negotio praesunt, nam corii instar perspirant et ipsae mucum secernunt. Omnes haece corporis tunicae in duos magnos tractus dividuntur:

1) Hic incipit ab orificio oris et narium, nonnullis processibus ad sinus frontales, ductus glandularum salivalium, ad oculi conjunctivam, ductus lacrymarum, et tubam Eustachianam in aurem in-

ternam emissis, descendit partim in organa respirationis, superficiem internam laryngis, tracheae et bronchiorum, partim pharyngem, oesophagum et totum tractum intestinalem obducit.

2) Tractus secundus pertinet ad systema uropoëticum et sexuale; urethram penetrans ad vesicam urinariam transit, et per ureteres ad renes, intrat ductus excernentes prostatae, glandularum Cowperi et vesicularum seminalium, et in sexu sequiori per vaginam et uterum usque ad tubas Fallopianas ascendit.

Glandulae mucosae vero, cryptae mucosae, folliculi mucosi, parvae sunt bursae membranaceae, tunica mucosa in se ipsam retracta ortae. Fundus clausus dilatatus, orificium vero contractum est, et superficies multis vasis et nervis gaudet. Motu quasi peristaltico a fundo incipiente et ad orificium praegrediente secretum, i. e. mucus, evacuatur.

§. 2.

Cujus secreti si utilitatem quoad corporis conservationem contemplamus, praecipue ad servandam organorum membranosorum glabritatem et ad tuendam eorum integritatem destinatum esse mihi videtur. Mucus consistentia tenue secretus, retentione in folliculis mox in massam crassiorem mutatur, quod phaenomenon partis fluidioris evaporatione et resorbtione explicari potest.

Humoris mucosi qualitas non facile intelligenda est, quia nunquam purus in adspectum venit, nam semper aliis humoribus mixtus observatur, et etiam

disquisitio chemica raro eum ab humore purulento etc. discernere valet *), *Frank*, *Home*, *Hebenstreit* et *Grasmeyer* nonnullas afferunt differentias inter mucum et pus, *Reil* **) vero omnes refutavit.

§. 3.

Blennorrhoearum diagnosis in genere plerumque haud difficilis esse solet, si morbi effectus in prospectum venit, difficilior vero, si partes interiores hoc morbo laborant, et mucus aliis humoribus miscetur. Semper vero diagnosis pendet a secretione aucta, nam qualitativae muci mutationes et signa, quae magis pertinent ad organi affecti functionem perversam, symptomata jam sunt secundaria.

Quoad muci secreti quantitatem magna diversitas observatur; dum urethra nonnullas guttas secernit, pulmones uncias et etiam non raro libram producunt; non aliter res se habet quoad qualitatem, mox videmus mucum tenuem, aquosum, mox gelatinosum, crassiorem imo tenacem; mox pellucidum, album, viridem, mox cruentum et diversum odorem spargentem.

In omnibus fere morbis blennorrhoïcis multa diversaque adsunt symptomata accessoria, de quibus vero hoc loco non referendum, quia tantum unam blennorrhoearum speciem describendam mihi proposui.

---

*) *Fourcroy*, *Vauquelin* Annal. de Chemie LXVII, 26. Annal. du Mus. d'histoire nat. XII, 61, et Essai sur la proprieté et les usages du mucus animal in Mémoir. de l'inst. nation. sc. mathem. et physiq. IX, 1809.

**) *Reil*, Fieberlehre, Bd. II.

§. 4.

Quam diversae sint de blennorrhoeae causa proxima sententiae, colligere licet e multis definitionibus, quas medici protulerunt.

Reil, causam proximam in varia organi natura quaerens, blennorrhoeam nominat decessum vis glandularum vitalis a sanitatis norma; saepe tamen observamus, glandulas inflammatas mucum non secernentes, et partes glandulis carentes blennorrhoea affectas. *Ad. Schmidt* causam proximam in ratione venarum et arteriarum turbata ponit, tamen haec sententia falsa mihi videtur, nam vasa sanguifera per se, deficientibus nervis, secretioni haud praestare possunt, et in blennorrhoea quoque nervi affecti sint, necesse est etc.

Certissime omnes blennorrhoeae originem ex irritabilitate organi affecti depressa ducunt, dum simul ejus irritabilitas plerumque diminuta, raro sana, et rarissime aucta est. Sententiam hanc omnia blennorrhoeae symptomata et causae optime probare videntur.

Secundum hanc sententiam blennorrhoea hypersthenica haud existere potest, quamvis nonnulli medici, e. c. *Reil* et *Hencke* *), hanc protulerunt; nam, si quidem nonnulli morbi blennorrhoici, e. c. catarrhus narium, pulmonum, urethroblennorrhoea etc., stadio inflammatorio incipiunt, tamen hi morbi hoc tempore non blennorrhoeae sunt, stadio inflam-

*) *Hencke*, Handbuch der speziellen Pathologie, B. 2. §. 988.

matorio enim praeterlapso demum secretio muci perversa intrat; loco tensionis fibrae muscularis inflammatoriae, relaxatio ejus et asthenia accedit. Irritatione organi blennorrhoea laborantis, et inflammatione hac ex causa aucta muci secretio cessat, et tantum methodi antiphlogisticae usu denuo revocatur.

Experientia etiam docuit, omnes blennorrhoearum causas praedisponentes magis statum asthenicum, quam sthenicum efficere. Constitutio corporis laxa, sanguine tenue non valde cohaerente exornata, sexus sequior, temperamentum phlegmaticum, aetas puerilis ac senilis et morborum praeexistentia irritabilitatis diminutionem relinquentium diathesin ad morbos blennorrhoicos praebent, ratio opposita contra, status irritabilitatis a sanitatis norma non abhorrens, blennorrhoearum originem impedit.

Causae occasionales quam maxime variae esse possunt, propterea de urethroblennorrhoeae causis tantummodo tractabo.

CAPUT II.
DE URETHROBLENNORRHOEA.

MORBI DENOMINATIO.

§. 1.

Multi medici multa hujus morbi nomina proferunt, quorum plurima vero eum non plane declarant.

Urethritis, hoc nomen tantum unum morbi stadium designat, nam durante inflammatione muci secretio perversa non adest.

Urethralgia (οὐρεω, mingo, et ἄλγος, dolor) in multis autem systematis uropoëtici morbis urethrae dolores aegrum excruciant.

Gonorrhoea (γονος, γονη semen et ῥεω fluo) ex urethra non semen, sed mucus effluit.

Medorrhoea sexus potioris (μαζεα, μεσα partes genitales) et *Phallorrhoea* (φαλλος, penis) designant e partibus sexualibus effluxum in genere, non vero muci secretionem in urethra.

Urethroblennorrhoea (οὐρηθρα et βλεννα) haec aptissima denominatio mihi esse videtur, nam in hoc morbo urethra ipsa mucum secernit.

§. 2.

Urethroblennorrhoea, Germanice *Tripper*, igitur nihil aliud est, nisi muci effluxus anomalus ex ure-

thra, et aut coitu, aut symptomatice multis morbis oriri potest. Hoc loco tantum de ea specie tractabo, quae coitum sequitur, quamvis morbi species tantum quoad causam inter se differunt.

§. 3.

Plerumque medici hunc morbum in morbos syphiliticos conferunt. *André* et *Swediauer* contenderunt, venenum ex ulcere syphilitico et ex urethra secretum inter se non differre, ita, ut primum urethroblennorrhoeam et secundum ulcus syphiliticum efficere possit.

Fritze quidem non dicit, haec venena plane eadem esse, tamen credit, unum vel alterum ita organi affecti vi assimilationis transmutari posse, ut non iterum idem, sed morbus alius oriatur.

Walch in variis vitae stadiis variam venenum capiendi corporis facultatem quaerit, quam sententiam vero *Duncan* *), *Tode, P. Frank* **), Illustr. *Horn* ***) et alii refutaverunt.

Certissime urethroblennorrhoea non est morbus syphiliticus, nam medicaminibus curatur, quae in omnibus blennorrhoïcis morbis multum ad sanitatem recuperandam valent; syphilis autem hydrargyri usum postulat, quod ad urethroblennorrhoeam dispellendam haud sufficit.

---

*) *Duncan*, Abhandl. v. d. Wirk. d. Quecks. in vener. Krankheiten.

**) *P. Frank*, Epitome de curand. homin. morb. T. V, §. 521. et 533.

***) *Horn*, Handb. d. med. Chirurgie. Bd. II. §. 310

Si durante urethroblennorrhoea luis venereae universalis symptomata intraverunt, difficillime destinandum est, num fortasse aeger aliis morbis syphiliticis, e. c. ulceribus, laboraverit et hoc modo etiam infectio duplice modo fieri potuit.

MORBI DECURSUS.

§. 4.

Facile tria stadia discernenda sunt, quamvis eorum primum et secundum non stricte ad urethroblennorrhoeam pertinent, nam demum in stadio tertio perversa muci secretio intrat.

§. 5.

1) *Stadium invasionis.* Nonnullo tempore post coitum praeterlapso, plerumque inter tertium et octavum diem, interdum mox post coitum et raro die decimo quarto aut vicesimo praeterlapsis, prima morbi phaenomena in adspectum veniunt.

Mediocris partis urethrae anterioris, praecipue fossae navicularis, inflammatio oritur sensu pruriente in glande et urethrae orificio, saepe usque ad perinaeum, testes et regionem inguinalem progrediente. Proclivitate coëundi aucta saepe penis erectiones, et pollutiones efficiuntur, et saepius, quam in sano corporis statu ad urinam emittendam urgetur aegrotus. Nonnullis diebus praeteritis sensus ille magis molestus urens fit, aeger conqueritur de calore, ardore et doloribus lancinantibus in urethra, cujus orificii margo rubescens tumescit.

Nunc symptomata crescunt; dolor in fossa na-

viculari fixus mictione augetur, erectiones, pollutionesque dolentes excruciant aegrum. Die tertio aut quarto guttae nonnullae liquoris tenuis, seroso-mucosi ex urethra secernuntur.

§. 6.

2) *Stadium inflammatorium.* Nunc inflammatio ad altissimum gradum ascendens symptomata varia affert. In multis casibus, si morbus non magna gravitate intrat, omnia inflammationis signa, ut in stadio primo, permanent: nonnullae guttae secernuntur, dolores inter mingendum non usque ad glandulam prostatam propagantur, sed tantum in urethrae parte anteriori sedem habent.

Inflammatione vero valde aucta sensus pruriens titillans in dolorem ardentem mutatur. Hic per totam urethram extenditur, erectionibus nocturnis et pollutionibus ad altissimum gradum pervenit, aut si primae urinae guttae urethram penetrant, aut si aeger guttas remanentes pressione expellit.

Penis rubescens tumescit, urethrae orificium margine rubro, inflammato, circumscripto, quasi inflato, circumdatum est, et glans ac praeputium inflammatione corripiuntur. In glandis superficie maculae rubro-fuscae in adspectum veniunt, et circa ejus coronam mucus secernitur (*Balanitis, Eicheltripper*). E febricitationibus vespertinis nunc colligere licet, totum corpus graviori morbo affectum esse.

Mucus tenuis nunc in crassiorem mutatus,

maculas flavo-virides in linteis relinquens, praecipue tempore matutino copiosius excernitur, et, si multae erectiones antecesserant, non raro striis cruentis mixtus. Quo gravior inflammatio, eo tenuior et acrior mucus, et si illa diminuitur, hic crassior et blandior secernitur. In altissimo morbi gradu dolores gravissimi intolerabiles aegrum excruciant, membrum virile quasi ardet, urina tantum guttatim destillat, et pulsus acceleratus, duriusculus denotat febrem.

Hoc in statu morbi plerumque omnis muci effluxus cessat, nam durante gravissima inflammatione blennorrhoea non existere potest, et hic est status, quem multi medici, vitiose tamen, *gonorrhoeam siccam* vocant.

§. 7.

Nunc multa symptomata accessoria advenire possunt, nam non raro alii morbi inflammatione aucta et progrediente efficiuntur.

Glandula prostata, vesicae urinariae collum, vesica ipsa phlogosi corripi possunt, et dum symptomata pathognomonica cystitidis morbum praesentem denotant: dolor et tumor in regione pubis, tensio et pressio perinaei, stranguria et signa febris hanc inflammationem semper comitantis.

Non raro observatur, membrum virile in erectione, plerumque deorsum, rarissime seorsum, curvatum et in hoc statu retentum (*Chorda*).

Certissime hoc in casu fibrae corporum cavernosorum ita inflammatione tenduntur, ut in erectione

eorum expansio impediatur; nam inflammatio et non spasmus hujus affectionis morbosae causa est. Existit etiam *chorda chronica,* quae oritur, si phlogosi jam fugata, in corporum cavernosorum cellulis exsudationes lymphaticae aut adglutinationes extensionem eorum impediunt.

Praeputium inflammatione correptum intumescit, si glandem obducit, *phimosis* oritur, si retractum est, *paraphimosis;* hi morbi tamen adhuc alio modo inter se differunt: phimosis magis laminam praeputii externam afficit, paraphimosis magis internam. Hoc secundo morbo circulatio humorum in glande impeditur, haec igitur valde intumescit; et si non artis ope morbus coërcetur, glans gangraena corripi potest.

Doloribus gravissimis haud raro glandulae inguinales sympathice intumescunt, hae glandulae hoc modo affectae *bubones sympathici* s. *benigni* appellantur. Praecipue aegrotos occupant, qui in urethritide scrotum suspendendum negligunt, vehementi gestatione et motione: si aeger saltat, equo vehitur, spirituosis abutitur etc. Horum bubonum species duae distinguendae sunt *).

1) *Bubo consensualis,* ubi irritamentum quoddam urethrae inflammationem ad glandulas extendit, blennorrhoea vero integra remanet.
2) *Bubo antagonisticus,* ubi illae potentiae noci-

*) *Joh. Metzig,* Dissertat. inaugural. de bubonibus.

vae adeo urethrae inflammationem exaltaverunt, ut secretio supprimatur.

Alius morbus accessorius urethroblennorrhoeam interdum comitans *Orchitis, epididymitis* est; plerumque intrat secretione muci suppressa, raro ea permanente. Causae, quae bubones sympathicos efficiunt, plerumque ad hunc morbum gignendum valent. Oritur nempe in scroto, intrantibus doloribus, qui ad abdomen per funiculum spermaticum propagantur, tumor, qui primo epididymidis partem inferiorem assumit, et dum crescens tumorem pyriformem, cujus pars crassior in fundo scroti sita est, proponit. Hicce morbus nihil est, nisi epidydimidis et interdum etiam testis parenchymatis inflammatio.

Morbus adhuc alius *blepharophthalmoblennorrhoea gonorrhoïca* est: duplici modo oriri potest: 1) si ulla causa urethrae blennorrhoea supprimitur, aut, 2) si mucus ex urethra secretus visus organum tangit. An hoc posteriori modo effici possit, non contendere velim, quia certe saepius ille mucus oculum tangit, quam morbus observatur. Celerrime percurrit illa oculi blennorrhoea prima stadia: hydorrhoeam et phlegmatorrhoeam, nam mox, interdum post VI, vel post VIII horas, interdum die secundo jam mucus crassus, purulentus tenax ex palpebris effluens pyorrhoeam designat, et interdum jam hoc tempore ophthalmorhegmate organum destruitur.

§. 8.

§. 8.

Raris autem in casibus stadium inflammatorium urethroblennorrhoeae tali gravitate intrat, nam artis ope et aegroti apta vitae ratione fere semper praecavetur, ne morbus hunc apicem capiat.

§. 9.

3) *Stadium relaxationis*: Si stadium inflammatorium sex, octo vel quatuordecim dies perduravit, phlogoseos signa sensim sensimque cessant, et tantum muci crassioris virido-flavescentis effluxus remanet. Urethrae orificii rubor et dolores in urinae emissione abjiciuntur. Nunc interdum morbus finitus est, muci secretio et tunica urethrae mucosa ad sanitatis normam reducuntur. In aliis vero casibus blennorrhoea adhuc diutius permanet, et hic ille intrat status morbosus, gonorrhoea secundaria dictus.

Deficientibus omnibus symptomatibus inflammatoriis tantum blennorrhoea remanet. Per diem saepe nihil secernitur, et tantum tempore matutino nonnullae guttae effluentes morbi praesentiam denotant. Irritamento vero locali, vel vitiis aegroti in vitae genere interdum symptomata inflammatoria iterum revocantur.

Hujus stadii spatium non destinandum, nam dies, menses, annos perdurare potest.

§. 10.

Urethroblennorrhoeae *diagnosis* certe semper haud dubia esse potest, saepe vero incertum est, an coitu, vel irritamento alio orta sit, hoc loco tantum

eam morbi speciem recenseo, quae coitum sequitur.

AETIOLOGIA.

§. 11.

De causa proxima jam alio loco (de blennorrhoea in genere Cap. I. §. 4.) tractavi; causa efficiens coitus est. Dispositionem ad hunc morbum ipsum existere, non contendere velim; interdum tamen dispositio adest, ut blennorrhoea chronica longius tempus perduret. Hanc diathesin illa momenta praebent, quae illo loco protuli, ubi de diathesi ad blennorrhoeas in genere locutus sum.

PROGNOSIS.

§. 12.

Haec fere semper bona nominari potest, si ulla curatio apta instituitur. In leniori gradu nunquam symptomata periculosa intrant, et tantum si inflammatione valde aucta alii morbi deuteropathici oriuntur vitia organica effici possunt, quorum remotio saepe valde difficile, saepe nunquam efficienda est. Vesicae suppuratio, ejusque gangraena mortem adducere possunt.

Haud difficilis morbi remotio in leniori gradu est apud aegros constitutione robusta praeditos, difficilior apud illos, constitutione laxa ad blennorhoeas gignendas inclinantes.

THERAPIA.

§. 13.

Quomodo in morbis omnibus curandis etiam in urethroblennorrhoea duae discernendae sunt in-

dicationes: ratione causae, et ratione morbi ipsius. Nonnulli medici etiam afferunt indicationem prophylacticam, quae mihi vero experientiae non respondere videtur, nam si adhibitis medicaminibus prophylacticis morbus non intravit, fortasse sine ullo medicaminum usu blennorrhoea non orta esset. Etiam existunt casus, ubi, quamvis multa prophylactica adhibebantur, tamen morbus erumpebat.

Hisce occasionibus datis multa fluida ad lotiones in usum vocantur: Aqua tepida, liquor kali caustici, ammonii caustici, urina, aqua oxymuriatica, solutio salis culinaris et hydrargyri muriatici corrosivi etc. Optimum vero, omnium, prophylacticum est — vitare coitum.

Quod attinet ad indicationem causalem ea non adhibenda, quia causa morbi, coitus, non removenda est.

§. 14.

Indicatio quoad morbum ipsum igitur hoc in casu sola ad tollendum morbum valet, tamen semper morbi stadium respiciendum est, nam alia medicamina inflammatio, alia relaxatio postulat.

§. 15.

1) *Stadium invasionis.* Stadium hoc nihil est, nisi inflammatio exoriens, postulat igitur methodum antiphlogisticam ratione affectionis topicae modificatam. Plerumque aptum aegroti vitae genus ad recuperandam valetudinem sufficit; e qua causa aeger cibos et potus sanguinis circulationem non excitantes, id est antiphlogisticos sumat, ne-

cesse est. Vitanda igitur sunt omnia spirituosa, et cibi e regno animali et vegetabili excitantes: adhibeantur potus emollientes, mucilaginosi ex. c. lac tepidum; decoctum hordei, avenae excorticatae et illud decoctum *Sydenhamii* album:

Rec. Cornu Cervi
Micae panis albi
Gummi arabici aa ℥ß
Coq. c. Aq. fontan. ℔iij
ad Colat. ℔ij
quibus adde
Sacchari albi ℥ij
Succi Citri rec. expr. q. s. ad gratum saporem.

Hocce decoctum aeger pro potu ordinario sumat. Porro aeger saltem semel quocunque die excretionem alvinam habeat necesse est, quae, si sponte non intrat, clysmatibus adhibitis provocanda est. Plane interdicendus est coitus, nam sententia illa populi coitu (praecipue cum feminis gravidis) urethroblennorrhoeam sanari, falsa et noxia est, nam non raro coitu hacce conditione exercito testiculi tumor, phimosis et paraphimosis oriuntur.

Interne, si inflammatio medicaminum usum indicat, adhibendae sunt emulsiones amygdalinae et papaverinae cum aqua lauro-cerasi. Kali nitricum etiam non plane inepte adhibetur, si mucilaginosis admixtis vis ejus irritans in urethram diminuitur.

Medici plures, e. c. *Boerhave* et *Sydenham*, in hoc stadio laxantia drastica adhiberi jubent ma-

teriae peccantis e corpore educendae causa. Certissime vero excitatione inflammationis gradum augent. Si status gastricus laxantia indicat, si alvi obstructione dolores increscunt, laxantia frigida antiphlogistica: pulpa tamarindorum et prunorum, manna et salia neutra cum mucilaginosis vel clysmata adhibenda sunt.

Etiam jam hoc tempore nonnulla medicamina externa locum tenent: aeger scrotum suspendat et membrum virile saepe aqua tepida, infuso flor. sambuci, decocto rad. althaeae etc. lavet, necesse est. *Girtanner* jam in hocce morbi stadio injectionibus in urethram uti vult, ut venenum aut involvatur aut destruatur. Hunc ad scopum ab illo medicamina oleosa, mucilaginosa et incitantia, caustica commendata sunt. Veneni destruendi et blennorrhoeae removendae causa secundum *Girtanner* adhibenda essent: aqua calcis, solutiones plumbi acetici, cupri, ferri et zinci sulphurici, hydrargyri muriatici corrosivi et ammonium causticum.

Certissime autem quicunque medicus bene expertus persuasum habebit, has injectiones hoc in stadio morbum non removere, sed supprimere, illosque morbos accessorios, qui ex urethroblennorrhoea suppressa nasci solent e. c. blepharophthalmoblennorrhoeam, epididymitidem, bubones antagonisticos etc., sequi.

§. 16.

2) *Stadium inflammatorium.* Si symptomata non urgent, omnia in stadio primo indicata medi-

camina etiam nunc plerumque sufficiunt; inflammatio raro ad altiorem gradum ascensa apparatum antiphlogisticum in tota extensione postulat. Febris inflammatoria venaesectionem indicat et ad regiones inguinales hirudines applicandae sunt; nunc interne aeger emulsiones cum kali nitrico et aqua lauro-cerasi sumat.

Medicorum sententiae, an durante urethritide hydrargyrum muriaticum mite indicatum sit, valde differunt. Nonnulli hoc medicamen dederunt syphilidis universalis vitandae causa; haec sententia mihi falsa esse videtur, nam nondum liquet, num ex urethroblennorrhoea lues universalis oriri possit, et si etiam hoc esset, hydrargyri usus nihil juvaret; nam syphilidi non providet, sed tantum eam removet. Effectus antiphlogistici causa hydrargyrum muriaticum mite locum inter medicamina in urethritide indicata quidem tenet, tum vero non refracta, sed majori dosi adhibendum.

Plura medicamina externa multum ad diminuendos dolores valent, nempe balnea illa jam proposita e decoctis mucilaginosis; et etiam cataplasmata emollientia et sopientia ex hb. conii maculati, hyoscyami et sem. lini parata, quae vero non diu adhibenda sunt, ne hisce, tunica mucosâ nimis relaxatâ, stadium tertium difficilius removendum sit. Nunc praecipue suspendat aeger scrotum, ne epidydimitis exoriatur, necesse est.

Si morbus vero magis indolis erethicae est, praecipue morbi remotionem adjuvant medicamina

sopientia: emulsiones illae cum opio, extracto hyoscyami, et, si dolores inter mingendum graviores sunt, cum camphora.

§. 17.

Illi morbi deuteropathici, saepe urethroblennorrhoeam comitantes, propriam curationis methodum postulant, quorum explicatio non hic pertinet. Nonnulli e. c. cystitis et blepharophthalmoblennorrhoea tantum apparatu antiphlogistico removentur, bubones et epidydimitis cataplasmatum usum indicant etc.

§. 18.

3) *Stadium relaxationis.* Si adhuc hoc stadium intrat secretionem perversam tollere, necesse est, et avertere, ne morbus redeat, quod tantum irritabilitatis excitatione effici potest. Difficillime vero saepe huic indicationi satisfieri potest, nam excretio jam cessans non raro iterum redit.

Quoad curationem nunc discernenda est blennorrhoea chronica cum charactere erethico et torpido. In casu primo, si sensus pruriens titillans remanet, morbus facilius removetur: hic plerumque medicamina tonica et adstringentia leniora interne apta sunt: cort. chinae, gummi kino, ferrum etc. semper tamen adjuncto opio. Externe interdum injectiones in urethram instituendae sunt, de quibus postea tractabo.

Aliter res se habet, si homines constitutione torpida, laxa, temperamento phlegmatico hoc morbo laborant, tum quidem etiam illa medicamina tonica

adhibenda sunt, plerumque vero non sufficiunt. Receptivitas systematis uropoëtici diminuta ad statum normalem reducatur, necesse est. Hunc ad scopum medicamina efficacissima sunt: terebinthina, balsamus copaivae et peruvianus, myrrha, gummi kino, cubèbae, cantharides, ferrum etc. et multa medicamina composita; e. c. liquor saponis stibiati, TR aromatica cum spiritu sulphurico-aethereo etc.

Rec. Ol. succini rectificat.
— terebinth.
Bals. copaivae āā ʒij.

M. D. S. Ter quotidie guttas triginta cum syrupo simplice aeger sumat, et mox postea vini rubri uncias duas bibat; quotidie guttarum quantitas adeo augeatur, ut aeger decem diebus praeterlapsis ter quotidie guttas sexaginta consumat.

Quod ad balsami copaivae usum attinet, multum ab adhibendi ratione dependet: aptissima ratio est eo guttatim uti, et quidem quotidie majori quantitate, die primo guttae quinque, postero decem, dum quindecim etc. usque ad centum.

Cubebae in multis casibus magna cum utilitate adhibentur; majori dosi tamen, secundum sequentem methodum, sumendae sunt:

Rec. Pulv. cubebar.
Sacchar. alb. āā ℥j
Mf. pulv. D.

Hunc pulverem sumit aegrotus durante uno die, tempore mutatino dimidiam partem cum se-

minimensura lactis, et alteram sensim sensimque usque ad vesperem. Nunc per dies duos nullis medicaminibus utitur, tum illius dosis usus reiteratur.

Plerumque post secundam unciam sumtam omnis excretio cessat; si bonus hicce eventus non observatur etiam cubebarum uncia tertia sumenda est. Hanc curationis methodum finit laxans drasticum. Si vero tribus unciis sumtis muci secretio perversa adhuc remanet, certe sine ullo effectu cubebae adhibentur.

Haud dissimilem vim in hoc morbo omnes piperis species habent, praecipue capsicum annuum, cujus tinctura guttatim, ter quotidie guttae quinque usque decem, adhibita, saepe secretionem tollere valet. Eodem modo omnia illa medicamina acria in urethram agunt.

DE MEDICAMINIBUS EXTERNIS.

§. 19.

Hoc in ultimo stadio medicamina externa locum tenent, nam saepe omnibus medicaminibus internis frustra adhibitis, haec morbum avertunt. Leniora sunt: inunctiones regionum inguinalium et perinaei linimentis incitantibus et balnea topica adstringentia, praecipue e ferro parata.

Nonnulli medici Anglici contenderunt, vesicatoria ad regionem sacralem et perinaeum applicata, saepe morbum removisse; aegre vero tantummodo hac medendi ratione uti voluerim, cantharidibus

enim in usum vocatis, magna nervorum sacralium irritatione etc. certissime morbus non minuitur, sed potius valde augetur.

Efficaciora medicamina sunt injectiones in urethram, quae vero caute institui debent. Hunc ad scopum Illustr. *Kluge* propriam siphonem designavit *), cujus apex glandiformis non acuminatus, sed ovo haud dissimilis rotundatus est, et quae tantum unam drachmam liquoris tenet. Hanc formam et magnitudinem ei dedit, ne permagna impletione urethra tendatur, aut siphonis apice incitetur. Si injectiones adhibentur fluidum in urethram injicitur, dum haec pollice et digito indicante manus sinistrae supra glandis coronam comprimitur, manu dextro aeger siphonem leniter ad urethrae orificium adprimit, et humorem in eam pellit. Injectione peracta urethrae orificio digitum adponit, ut fluidum per sexagesimam horae partem remaneat. Hoc ter quaterve quotidie reiteretur.

Medici varii varias compositiones injiciunt; omnes vero in eo consentiunt, eas urethrae tonum ad statum normalem reducere, et diminutam ejus incitabilitatem denuo augere: compositae igitur sunt e medicaminibus tonico-adstringentibus, et, si urethroblennorrhoea erethicae indolis est, sopientibus.

---

*) Hanc siphonum speciem secundum Illustr. *Kluge* designationem bene parat *G. Köpke.* Berol. Spandauerstr. 58.

NONNULLAE INJECTIONUM FORMULAE.

§. 20.

Rec. Alum. crud. gr. XV
Aquae Rosar. ℥iv
Opii puri ℈ß
Mucilag. Gmi. Mimos. ℥ß
M. *Rust.*

Rec. Camphorae rasae ʒß
Pulv. Gmi. Mimos. ʒj
Opii puri ℈j
Aq. fontan. fervid. ℥iij
Zinci sulphur.
Plumb. acet. āā gr. XV
M. *Kluge.*

Rec. Zinci sulphurici gr. iij
Aq. destillat. ℥iij
— Lauro-cerasi ℥j
TR opii simpl. ʒij.
M. *Rust.*

Rec. Calcar. oxymuriat. gr. IV
Aq. Rosar. ℥IV
TR opii simpl. ℈j.
M. *von Carnall.*

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

In Silesiae montibus, ad Bohemiae et Moraviae fines, urbs et arx, Glacium dicta, sita est, quam paternam nomino; ibi ego Carolus, Henricus, Arwidius, Felix de Carnall die XXV. Decembr. MDCCCV natus sum, ab Arwidio Conradio de Carnall, in Regis Borussorum potentissimi exercitu ducis munere fungente, patre carissimo et ex Charlotta, Theodora e gente le Cointe, matre benignissima. Prima literarum elementa a M. Pohle sacerdote urbis paternae, usque ad cineres a me colendo accepi.

Anno aetatis nono Silesia, provincia paterna relicta, in regiones Rhenanas profectus sum, et Düsseldorpii gymnasium sub rectore Kortum florens per annum frequentavi. Tum, quum iterum in urbem paternam rediissem, in gymnasio scientias illic consuetas absolvi.

A. MDCCCXXII. mense Aprili Berolinum me contuli, ubi numero alumnorum instituti regii medico-chirurgici Friderici Guilelmi adscriptus per quadriennium in medicinae utriusque studium incubui, et hisce praelectionibus interfui:

Hodegeticen, mathematicen, logicen et psychologiam Cel. WOLFF; botanicen, historiam naturalem et pharmacologiam Illustr. LINK; physicen, chemiam et pharmaciam Cel. TURTE et Illustr. HERMBSTAEDT et zoologiam Illustr. LICHTENSTEIN mihi tradiderunt. In encyclopaedia medicā, anatomia universa, comparativa et organorum sensuum, entozoölogia et physiologia generali et speciali Illustr. RUDOLPHI mihi praeceptor erat; physiologiam generalem et specialem Cel. ECK, et Celsi libros de medicina Cel. HECKER mihi exposuerunt. Osteologiam, syndesmologiam, splanchnologiam, pharmacocatagraphologiam et anthropologiam forensem Illustr. KNAPE me docuit, qui etiam cum Illustr. RUDOLPHI in arte cadavera rite dissecandi me instituit. Pathologiae specialis Illustr. HORN; pathologiae generalis Illustr. FR. HUFELAND praeceptoribus gavisus sum.

Pathologiam et therapiam morborum mentis Illustr. HORN et Illustr. WOLFARTH; therapiam tam generalem, quam specialem et semioticen Illustr. C. W. HUFELAND et Illustr. FR. HUFELAND; chirurgiam generalem, artem fascias imponendi, artem obstetriciam et doctrinam de ossibus fractis et luxatis Illustr. KLUGE; chirurgiam specialem Illustr. RUST; ophthalmiatricen Cel. JUENGKEN, et akiurgiam Illustr. viri KLUGE, RUST et de GRAEFE me docuerunt. Adfui exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthalmologicis et syphiliticis Illustr. virorum C. W. HUFELAND, de GRAEFE, RUST, NEUMANN, KLUGE.

Hisce studiis peractis per annum in nosocomio charitatis Berolinensis medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate superatis, spero fore, ut, dissertatione conscripta, riteque defensa, summi medicinae atque chirurgiae honores in me conferantur.

Quo facto Wratislaviam, ad medici turmalis fungendum munus, me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Commoda e morbillis et scarlatina arte insertis emanant nulla.

II.

Omnia medicamina sunt specifica.

III.

Blennorrhoea hypersthenica non existit.

IV.

In operatione fistulae ani semper incisionem ligaturae praeferendam esse, contendo.

V.

In urethroblennorrhoea secundaria injectiones in urethram non plane rejiciendae sunt.

VI.

Ulcera morbi radesyge dicti nihil sunt, nisi herpes miliaris exulceratus.

VII.

Trepanatio nunquam fracturis ossium cranii indicatur.